DE SECALE CORNUTO DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM...

Giuseppe medico Venturini (medico)

DE

SECALE CORNUTO

Dissertatio Inauguralis

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE PERILLUSTRIS DIRECTORIS AC PRÆSIDIS FACULTATIS MEDICÆ SPECTABILIS DOMINI DECANI NEC NON CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM UT DOCTORIS MEDICINÆ LAUREA SUMMIQUE IN MEDICINA HONORES AC PRIVILEGIA RITE CONSEQUANTUR IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE TICINENSI

AUSPICE

DOCT. JOSEPHO MORETTI
Botanices Prof. Ord.

UNA CUM THESIBUS DEFENDENDIS

MENSE AUGUSTI ANNO 1844

PUBLICÆ DISQUISITIONI OFFEREBAT

JOSEPH VENTURINI

Ex Tercento in Provincia Rhodigii.

TICINI REGII

EX TYPOGRAPHIA FUSI ET SOCII.

402

A TE MIO AMATISSIMO ZIO

CHE DALL' AMOROSO GENITORE

SVENTURATAMENTE IN QUEST' ANNO PERDUTO

NE TIENI PEL CUORE LE VECI

QUESTE POCHE PAGINE FRUTTO PRIMIZIO

DELLE MIE SCOLASTICHE FATICHE

NEL FAUSTO GIORNO DELLA MIA LAUREA

QUAL' ARRA DI GRATITUDINE ED OSSEQUIO

DEVOTAMENTE CONSACRO.

PROOEMIUM.

Pauca certa adsunt producta morbosa vegetabilium, quae pariter ac Secale Cornutum observationes et experimenta naturae scrutatorum sollicitarunt; nihilominus natura et origo hujusce substantiae adhuc densa obvelatur caligine.

Secale cornutum uno eodem tempore venenum energicum, et medicamen praetiosum sistit, et nil mirum si plures botanici, chemici et medici circa hocce argumentum insudarunt.

Pro inaugurali mea Dissertatione, ut nobilem studiorum metam assequar, optimum habui, praecipuas notiones de *Secale Cornuto* exponere. Fateor nil hisce pagellis adesse novi; ast dum sublimiora a tenuitate mei ingenii denegantur, sufficiat illa tradere quae a meis praeceptoribus, et auctoribus variis accepi et colligere mihi datum fuit.

NOTIONES HISTORICAE.

In operibus graecorum nullum secalis cornuti indicium reperitur. Nequidem latini de hacce substantia tractarunt, et adhuc in dubium est, utrum *Plinius secale cornutum* delineaverit dum ait. » *Inter vitia segetum et luxuria est cum onerata fertilitate procumbent.* » (1). *Adam Lonicerus* anno 1565 secale cornutum nomine *Clavi siliginis* descripsit (2). *Thalius* in suo *Catalogo sylvae hercyniae* praesens productum *secalis matrem*, et *Bauhinius secale luxurians* compellarunt.

(1) Plin. Lib. XVII, cap. 17.

(2) Adam Lonicerus. *Botanicon plantarum historiae cum earundem ad vivum artificiose expressis iconibus. Francofurti*, 1565.

Antea quam therapeuticae proprietates secalis cornuti innotuerint, medici toxicam actionem ipsius pluries et pluries observarunt. *Mezerai* epidemiam distinxit anno 1096 ex secale cornuto procedentem. *Perrault* aliam epidemia descripsit ex secale cornuto enatam quae anno 1690 in Provincia Aurelianensi, plurimas victimas mactavit. *Camerarius* primus fuit, qui usum hujusce substantiae in aliquibus casibus artis obstetriciae laudavit (1). In posterum vero practici quamplures hocce pharmaco utebantur.

Relate ad causam secalis cornuti, diversae et omnino inter se discrepantes opiniones proferuntur. *Ray*, *Tillet*, *Read* et alii secale cornutum utpote speciem gallae quercus habent ex vulnere insecti derivantem; *Fontana*, *Buffon* et *Needham* veluti polyparium infusoriorum, secale cornutum dijudicarunt. Haec infusoria porro facile distinguuntur in liquidis quibus secale ipsum cornutum per aliquod tempus infunditur. *Bosc*, *Rosier* et V. de *Bomare* ab exuberantia nutrimentorum pravae indolis; *Schmieder* et *Taube* a saccharo rore

(1) J. J. Camerarius. *Dissertatio de ustilaginae frumenti. Tubingae* 1709.

commixto grana penetrante, B. de *Jussieu* et *Geoffroy* a peculiari specie molae, ex sublato aequipondio in tempore faecondationis *clavum secalinum* derivarunt.

Nequidem opiniones neothericorum genesim secalis cornuti melius illustrarunt. Docente *Virey*, corpus de quo loquimur speciem adfectionis putridae aut *elephantiasis vegetabilis* constituit. *Turpin* arbitratur, a peculiari adfectione morbosa globulorum ovarii secale cornutum originem agnoscere.

De-Candolle secale cornutum inter species *sclerotii* et dein *tuberis* numeravit. *Levellier sphacaeliam graminum; Fries spermoediam clavum*, et M. *Quekett Ergotaeciam abortifacientem* utpote tot causas immediatas secalis cornuti descripserunt.

Nullum vigere potest dubium quod secale cornutum a peculiari adfectione morbosa secalis cerealis originem agnoscat. Maxima probabilitate hoc productum pendet a vegetatione plantae cryptogamicae mycroscopicae super semina secalis ipsius. Ast hucusque characteres botanici hujusce *Agamae* cujus influxu secale cornutum provocatur, nos latent. Solummodo recordari sufficiat secale cornutum in locis eminenter humidis adesse; et nostro horto Bo-

tanico Ticinensi a Clarissimo Prof. *Moretti* quolibet vere secale cornutum arte coligitur, quotidie aspergendo plantas *secalis cerealis.*

Characteres Physici Secalis Cornuti.

Secale cornutum grana exhibet elongata, externe coloris atro-purpurei, nonnunquam grisei, rarissime subalbidi, interne coloris cinerei. Persaepe sulco longitudinali distinguitur illa in parte qua axim aristae respicit. Basis involucro florali persistente operitur; et apice operculo distinguitur, quod cito sejungitur et post exsiccationem haud amplius invenitur. Secale cornutum pilis obvelatur, quibus in statu sano pars superior ovarii tegitur.

Secale cornutum sub sectione verticali rudimenta vasorum ostendit, quae quidem vasa modo simplicia, modo regulariter ramosa facilius distinguuntur quoties grana hujuscemodi horizontali sectione subigantur.

Consistentia secalis luxuriantis est valida et fere cornea; fractura regularis nitida; difficile secale cornutum in pulverem redditur, et per actionem ignis urit absque crepitu atque lucem vivam et nitidam liberat. Dum aqua tractatur aliquantulum emollitur; tunc facile cultro ce-

dit, et materiam gummosam largitur, et liquidum colore violaceo tingit. Quodsi per dies secale cornutum macerationi in aqua relinquatur, tunc levis pellicula, variopicta, in tot areolas irregulares natantes et iridescentes divisa, in superficie liquidi distinguitur.

Odor secalis cornuti recentis est levis, atque aliquam affinitatem cum odore *agarici* et *boleti* suppeditat; in posterum vero dum aliqua copia semina hujuscemodi in vasculis congerantur, odor foetidissimus extricatur, qui maxima probabilitate a putrida decompositione glutinis et subsequa evolutione gazorum ammoniacalium originem agnoscit.

Sapor secalis cornuti est leniter nauseosus et uno tempore aliquam affinitatem cum sapore granorum secalis ostendit. Ast post breve tempus ab ingestione clavi secalini, peculiaris sensatio constrictionis in faucibus evolvitur, quae licet levis, tamen per aliquod tempus protrahitur.

Secale cornutum aliqua quantitate congestum in vase etiam aperto adspectum induit splendentem resinosum, odorem foetidum spirat, et *acharum* ostendit, qui pedetentim substantiam clavi secalini de periphaeria ad centrum corrodit. *Acarus* secalis cornuti cum *acharo*

scabiei hominum convenit. Quandoque sub fine veris super plantam hoc morbo detentam observari potest, quemadmodum *Quekett*, *Fée*, aliique vidisse testantur (1). Analysis secalis cornuti parum hucusque luminis attulit, eo quod diversa elementa hujusce corporis adhuc nos latent.

Analysis instituta a *Vauquelin* et *Pettenhofer* nos docet, quod in secale cornuto amylum et saccharum communia cerealibus omnino desint, dum materia peculiaris animale-vegetabilis, substantia unguinosa, phosphates calcis et potassae abundant. *Pettenhofer* quoque a secale cornuto crystallos cubicas saporis amari collexit, quae ab ipso utpote phosphas morphinae neuter dijudicantur.

(1) A. L. A. Fée *Mémoire sur l' Ergot du seigle et sur quelques agames qui vivent parasites sur les épis de cette céréale. Strasbourg.* 1843.

Actio secalis cornuti super humanum organismum.

Secale cornutum narcoticam actionem super homines et animalia evolvit. Modica dosi praescriptum vel cum cerealibus casu commixtum cephalalgiam et leves motus febriles provocat; dosi quidquam majori nimirum ad drachmam aut parum amplius ter vel quater in die haustum dolores faucium et abdominis, ardores, sitim molestam, et siccitatem oris atque faucium, nauseam, vomitum, delirium et convulsiones inducere valet. Non desunt tamen casus, in quibus haec substantia ad dimidiam drachmam vel integram qualibet mane per plures hebdomadas absque ullo incommodo hominibus sanis usurpabatur. (1). Elapsis temporibus et etiam nostro aevo secale cornutum utpote frequens causa *myrmekismi* et *morbi cerealis* seu *raphaniae* dijudicatum est. Quoque scorbutus, debilitas artuum, gangraena, et diarrhaea sanguinis corrupti, haud raro tempore belli et annonae charitatis a cerealibus saepe nuptis cum ipso secale cornuto propriam agnoscunt originem.

(1) *Keil. Diss. de Secal Cornut, Berlin.* 1822.

Orfila in canibus quibus secale cornutum per aliquos dies usurpabatur gangraenam aurium, et artuum vidisse testatur, dum sub eorum sectione indicia praegressae phlogoseos gangraenosae in organis abdominalibus praestabant. *Ollenroth* et *Dittmer* (1), actionem deleteriam secalis cornuti in systema nervosum pluribus experimentis super animalia viva institutis confirmarunt, eo quod paralyses, convulsiones et stupor frequenter usum protractum et generosum secalis cornuti sequebantur. *Cordier* post usum secalis cornuti ad drachmas duas in die vomitu et nausea per nycthemerum integrum defatigabatur. Ex observationibus et experimentis a *Lorinser* iteratis patet, secale cornutum inter causas efficientes *raphaniae* principem tenere locum, et nullo pacto ipsum per exsiccationem aut praeustionem virtutem toxicam amittere (2).

(1) *Giornale Hufeland.* Tom. 45 F. 5. p. 63.

(2) *Lorinser. Ricerche ed osservazioni sulla segale cornuta.* Berlino 1824.

Virtutes Therapeuticae.

Intuitu therapeutico secale cornutum specialiorem attentionem promeruit eo quod uteri contractiones valdopere promovere solet. *Osiander* potissimum testatur, hocce remedium jam a longo tempore in Germania, Polonia, Batavia, aliisque Europae regionibus, utpote efficacissimum ad provocandos dolores partus innotuisse (1). Nostro aevo a medicis Americae septentrionalis, Angliae nec non nostra Italia saepissime hoc pharmacon ad sollicitandam uteri actionem tempore partus consulitur, quoties nimirum contractiones uterinae pedetentim sub partu decrescant, quin symptomata localis aut universalis congestionis aut phlogoseos emineant. Ab aliquibus practicis americanis hacce proprietate secale cornutum, quoque *pulvis parturiens* compellatur. Quoque practici quamplures in morbis diversis uteri ab atonia hujusce organi procedentibus secale cornutum utpote energicum remedium adstringens suadent. Licet omnes medici conveniant secale cornutum pollere virtute eminenter electiva super

(1) *Osiander. Manuale di Ostetricia.* Vol. 2 p. 2.

systema uterinum, tamen diversae adhuc moventur quaestiones relate ad varia momenta indicantia usum hujuscemodi medicaminis; haud pigeat modo praecipuas practicorum sententias circa hocce argumentum delinare.

Stearns anno 1807 in America clavum secalinum ad sollicitandum partum collaudavit, et praesens medicamen ab initio utpote innocuum quolibet casu statuit. In posterum auctor ipse fatebatur, ipsum solummodo in uteri inertia ex debilitate hujusce organi, et in gravi metrorrhagia post partum convenire. Auctor ipse hoc remedium ad drachmam semis forma decocti colaturae unciarum octo suadet, ut dein ad cochlear cibarium quolibet decimo minuto primo parturienti exhibeatur. *Stimson* testatur in uteri inertia et metrorrhagia post partum nec non etiam tempore partus secale cornutum opitulari, attamen fatetur ipsum persaepe foetui nocere, proindeque ejus usum solummodo casibus periculosis convenire. Observationes nostra Clinica Obstetrica Ticinensi a Prof. *Lovati* iteratae, nos docent secale cornutum praestantissimum largiri pharmacum in uteri inertia et metrorrhagia quin foetus patiatur, attamen non raro post usum hujusce substantiae lochia minima copia fluunt, et spa-

sticae uteri contractiones superaccedunt. Usus secalis cornuti etiam arridet quoties placenta sub defectu contractionum uteri exire nequeat. Cavendum tamen sedulo, ne secale cornutum in congestione et phlogosi uteri, in angustatione pelvis, et perversa positione foetus adhibeatur; nam hisce casibus fere semper spasticae uteri contractiones promoventur, per quas partus serius et difficilius absolvitur. Nequidem secale cornutum in primis partus stadiis convenire solet, sed tantum sub fine tertii stadii, aut ultima partus periodo usurpari debet, quando nimirum post horam circiter faemina liberari possit.

Secale cornutum sua virtute emmenagoga in amenorrhoea, dysmenorrhaea et menostasia summis celebratur laudibus. Hocce intuitu dosi refracta pluries in die porrigitur, et per hebdomadam circiter usurpatur.

Peculiari virtute adstringente ab omnibus plane practicis contra haemorrhagias fere omnes secale cornutum consulitur. Praeprimis in haemoptysi, haematuria et metrorrhagia hocce pharmacon insigne attulit levamen quoties dosibus modicis et per aliquos dies iteratis consulatur.

Jam dudum movebatur quaestio, relate ad virtutem dynamicam stimulantem vel deprimentem secalis cornuti. Si attendimus sub incauta hujusce pharmaci administratione persaepe metritidem et spasmos uteri post partum evolvi, possumus aliquo intuitu concludere secale cornutum virtute eminenter stimulante pollere. Ast dum secale cornutum ipsum in haemorrhagiis activis, carditide, amenorrhoea saepissime levamen afferat, haud perperam ab aliis utpote remedium dynamicum deprimens dijudicatur. Probabiliter virtus princeps clavi secalini est solummodo adstringens, qua de re in morbis utriusque diathesis pro casuum diversitate convenire potest, quoties potissimum contractio vasorum capillarium sollicitari debet; et forsan unica proprietate adstringente et electiva super vasa capillaria, secale cornutum tempore partus uteri contractiones provocat.

Administrandi Ratio.

Secale cornutum diversa forma et dosi admodum varia porrigitur, pro variis indicationibus quibus satisfacere debet. Tempore partus ad contractiones uteri deficientes sollicitandas, *forma pulvis aut infusi* larga exhibetur dosi. Nostra clinica ticinensi ad scrupulum in pulvere per tres vices parturientibus ad intervalla horae quadrantis pro qualibet administratione largitur. De more post primam vel alteram dosim secalis cornuti uterus fortiter et regulariter contrahitur, et tunc ultima dosis haud propinatur; quod si primae doses non sufficiant tertia exhibetur pulvis. Nonnisi perraro secale cornutum practicorum desiderium fallit, ast hisce casibus, consumptis dosibus nuper expositis, prudens erit ab usu hujusce medicaminis recedere, ne spastica uteri contractio partui ulterius opponatur, et metritis ominosa tempore puerperii superveniat. Alii vero eadem indicatione, formam infusi praediligunt, et tunc secale cornutum ad drachmam colaturae unciarum quatuor, tribus vicibus intervallo itidem horae quadrantis suppeditatur.

Praetervidendum non est quod praesens phar-

macon in aliquibus foeminis et speciatim sensibilioribus primis vicibus per vomitum rejiciatur, tunc necesse erit doses ipsas pro necessitate iterare.

Scopo adstringente in variis haemorrhagiarum speciebus et praeprimis in haemoptoe, metrorrhagia ex metritide aut vitio organico uteri, in melena, haematuria et sic porro, secale cornutum ad gr. jv — vj forma pulvis ter vel quater in die consulitur. Iisdem formis et dosibus hoc remedium menstruationi favet.

In gestantibus dum omnia praestant signa physica mortis foetus, ab aliquibus *clavus secalinus* suadetur, ut contractiones uteri provocentur et partus sollicitetur. Quum tamen judicium mortis foetus in utero materno sit frequenter anceps et difficile, melius foret partum unicis naturae viribus relinquere, si tantum excipiantur casus in quibus gravi haemorrhagia matris existentia minitetur. Huic scopo medicamen in pulvere ad gr. x — xjj. ter vel quater in die usurpatur.

Observationes omnium practicorum nos docent, quod secale cornutum pro diversa aetate et methodo praeparationis diversa phaenomena sollicitare valet. Forsan haece ratione

secale cornutum recens et a brevissimo tempore pulveratum, multo majori pollet efficacia, quam secale cornutum, a lungo tempore collectum et in officinis forma pulvis servatum. Ambigitur adhuc an, pro diversitate locorum, secale cornutum peculiarem subeat modificationem? *Wildenow* secale cornutum pallidum optimae qualitatis, et atro-coerulescentem indolis pejoris distinxit; ast botanici et medici quamplures opinioni hujusce auctoris adversantur.

Quum secale cornutum frequenter incommoda nervosa, vomitum, dolores abdominis, convulsiones, aliqua similia promovere queat, novissimus temporibus, a medicis quampluribus *Extractum Haemostaticum secalis cornuti* vel *Ergotina* laudibus extollitur, eo quod hoc praeparatum dum insignem facultatem adstringentem exerit, nullo pacto irritationem provocat neque systema nervosum afficit. Praetium operis proinde arbitror, aliqua de proprietatibus physico-chemicis et therapeuticis Ergotinae modo exponere.

De Ergotina seu Extracto Hæmostatico.

Ergotina vel *Extractum Haemostaticum* a *Bonjean* anno praeterlapso colligebatur digerendo pulverem secalis cornuti per aliquod tempus in aqua. Solutio aquosa balneo arenae subigitur. Tunc si forte coagulatio albuminosa supervenit, coagulum filtrationis ope separatur. Solutio porro aquosa lenta evaporatione aut balneo arenae ad consistentiam mellis reducitur, et dein additur alchool copia generosa ut nimirum per subsequam quietem principium gummosum fundo vasis conveniat. Liquidum denuo filtratum, evaporationi novae aut destillationi subigitur, quousque densitatem extracti mollis acquirat. Haece methodo extractum habetur solido-molle, rubro-fuscum, homogeneum, odoris grati carnis assae, saporis leniter acris pungentis qui pro parte cum sapore tritici corrupti aliquam affinitatem agnoscit. Hoc extractum cum aqua solutionem coloris rubro-purpurei et pellucidi suppeditat. Quingenti partes secalis cornuti, largiuntur circiter septuaginta vel octuaginta partes Ergotinae.

Ergotina utpote specificum contra haemorrhagias cujuslibet generis dijudicari debet. Quo-

que vomitus cruenti rebelles, metrorrhagiae effrenes, et sputa cruenta phthisicorum mira plane ratione per usum hujusce pharmaci modica dosi cohibentur.

Ergotina scopo adstringente contra haemorrhagias ad granum unum vel alterum bis vel ter in die suppeditatur forma pilularum. Tempore partus ad sollicitandas uteri contractiones in inertia et debilitate hujusce visceris Ergotina ad grana quatuor vel sex forma pilulari unica aut altera vice porrigitur. Praeterquam quod sub usu ergotinae modica etiam dosi haemorrhagiae devincantur et actio uteri sub partu adaugeatur, praetervidendum non est, extractum ipsum haemostaticam fere nunquam vomitum, tormina ventris, convulsiones, paralyses aliaque incommoda secalis cornuti, inducere.

FINIS.

THESES DEFENDENDÆ

1. *Ergotinam* prae Secali Cornuto in haemorrhagiis praestare.

2. Venerem immaturam frequentem choreae causam.

3. Evolutionem acidi carbonici non in pulmonibus, verum in systemate capillari totius corporis primam agnoscere originem.

4. Chloruretum Barii in Angina Crupali suadendum.

5. Plicam Polonicam utplurimum a neglecta capitis munditie originem agnoscere.

6. Colicam saturninam veram toxicationem dynamicam.